



1699

Sammelband 4

100 B.

- 1
- 2
- 3
- 4
- 5
- 6
- 7
- 8
- 9
- 10
- 11
- 12
- 13
- 14
- 15
- 16
- 17
- 18
- 19
- 20
- 21
- 22
- 23





| Nr. | Praefides    |   |
|-----|--------------|---|
| 1   | Scharf       | De Sponsalibus.   |
| 2   | Wildvogel    | - inutilibus Sponsalior. Divisionibus                               |
| 3   | Vatand       | - lege connubii Levit. XVIII. § II.                                 |
| 4   | Scharf       | - jure nuptiarum.   |
| 5   | Mevius       | - nuptiis.  |
| 6   | Bodinus      | - Nuptiis civilib. de canonico.                                     |
| 7   | Hirchmaier   | - lege Papia Poppaea.   |
| 8   | Schultz      | - Polypedia.  |
| 9   | Fichtner     | - premiis polypedias.   |
| 10  | Meier        | - uxore virgine.  |
| 11  | Herzog       | - Polygamia.  |
| 12  | Augustinus   | - adulterinis conjugis.   |
| 13  | Mayer        | - conjugio Jacobi cum duab. sororibus.                              |
| 14  | Mencken      | - divortis sec. jus Naturae.  |
| 15  | Witte        | - potestate maritali.   |
| 16  | Simon        | - impotentiae conjugali.  |
| 17  | Nachtenhofer | - utrius.   |
| 18  | Lauterbach   | - singulari affirmum jure.  |
| 19  | Bardili      | - Sponsalitia largitate.  |
| 20  | Friesen      | - donationibus simplicibus inter conjuges.                          |
| 21  | Werner       | - potestate Principis circa novas nuptias concedenda parti nocenti. |
| 22  | Reichenbach  | - Unione prolium.   |
| 23  | Jacobs       | - dote ante matrimonium consummatum lucranda.                       |



| Nr | Praefides |                                      |
|----|-----------|--------------------------------------|
| 24 | Pläjer    | De eo qu. iust. circa dotes.         |
| 25 | Llevoigt  | - utili rei pecunia dotali comparate |
|    |           | vindicationes.                       |
| 26 | Linetz -  | Dispensatione matrimoniali.          |
| 27 | Linetz    | - matrimoniu lege Salica contracto.  |
|    |           | C.                                   |



4 XXX

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI  
 DE  
**JURE NUPTIARUM,**  
 MAGNIFICI  
 FCTORUM WITTEBERGENSIUM ORDINIS CONSENSU  
 DISSERET  
**JO. FRID. SCHARFIUS,**  
 J. U. D. & COLL. PH. ADJ.  
 PRÆSES,  
 IN ACROTERIO THEMIDI SACRO  
 TRIDIE KAL. AUGUSTI, HORIS SOLEMNIBUS  
 RESPONDENTE  
**JOHANNE REINECTIO, DAMENS. SAXONE.**

---

IMPRIMEBATUR LITERIS HAKLIANIS, A. O. R. cl. Isc LXXII.





111

In Nomine Domini nostri Iesu Christi

DE

JURE NUPTIARUM

MAGNIFICI

ACTORUM WITTEBERGENSIS ORDINIS CONSENSU

DISSERT

JO. FRID. SCHARFIUS

J. U. D. & COLL. PH. ADJ.

P. R. A. E. S.

IN ACADEMIA THEOLOGICA SACRA

PRIDIE KALENDARII AUGUSTI, HORIS SOLEMNIBUS

RESPONDENTE

JOHANNI REINECTIO, DAMENSIS SACRONE.

IMPRESSE LIT. HAKIAE N. O. R. M. D. C. C. L. X. V. I. I.







Constituimus pauca de Nuptiarum Jure, pro ingenii modulo differere. Sine ambagibus, ampullis ac sesquipedalibus verbis.

Te verò ÆTERNI FILII PATER ÆTERNE, hoc enim omnium rerum primum esse debet, ardenti pectore rogamus: ita regas & mentem nostram & linguam, nihil ut illa cogitet, nihil ut ista cunctet, nisi quod Nomini Tuo gloriosum, veritatiqve congruum sit futurum.

### ZHTHMA I.

Consensus Parentum utrum necessariò requiratur in contrahendis Liberosum Nuptiis?

§. 1. Quamquam defendere nonnulli nitantur, Parentum consensum neq; Jure Divino, neq; Naturali & Civili, neque Canonico requiri, quos inter est Ant. Guibertus Costanus *tr. de Sponsal. & matrim. it. in memor. quest. Juris c. 12.* & alii quoque variè divertant, præsertim in Papatu, ubi omnis fermè Liberosum reverentia ergà Parentes per canones Papisticos tollitur; sicut id ostendit Theologorum nostrorum Baldus Balduinus, *lib. 4. de Cas. Consc. circa officia Parent. & Liberos. cap. 14.* Verius tamen est, Parentum consensum de omni jure necessarium esse in Liberosum Nuptiis; adeò, ut nec rati habitio quidem, quæ aliàs mandato æquiparatur, hoc casu locum sibi vendicet, nec consensus defectum suppleat.



§. 2. Atque affirmativam ut amplectamur, Ducem habemus ipsum IMPERATOREM, in pr. Inst. de Nupt. dum inquit, si filii familiarum sint, consensum habeant Parentum, quorum in potestate sunt; nam hoc fieri debere, & Civilis & Naturalis ratio svadet, per l. 2. l. oratione. 16. §. 1. l. nuptia. 18. l. filius. 35. ff. de R. N. JURE NATURALI propter obedientiam, quæ omnibus ex æquo Jure naturæ debetur Parentibus, l. 1. §. jus naturale. 3. §. l. 2. ff. de J. & J. l. 1. §. 2. ff. de obs. parent. & patron. prestand. l. parentes. 6. ff. de in jus vocand. l. qui in potestate. 3. C. eod. Æquum autem est, ut Parentibus, qui ad eam ætatem nos educarunt, totq; labores, molestias & sollicitudines continuò nostrum causam exantlarunt, hoc honoris habeatur: cum ignominia & contumelia insignior illis haberi atque inferri nequeat, quam si Liberi iis in re tam ardua & gravissima refragentur. Maxime, cum Parentes optimum saluberrimumq; consilium pro liberis capere præsumantur, iisque rectissime prospicere velle credantur, ob singularem summamq; affectionem, quæ illos prosequuntur, l. si plures. 3. §. 1. ff. de administrat. & peric. tut. l. non solum. 67. §. 1. ff. de R. N. l. nec in ea. 22. §. fin. ff. ad L. Jul. de adult. l. u. t. in pr. C. de curat. furios. Hinc Ethnicus ille Juvenis apud Pœtam Non ducam illam, inquit, si vel Venere formosior, vel Pallade sapientior sit, nisi Pater meus consentiat. Hinc Achilles apud Homerum, non vult sine Patris sui consensu ne Regis quidem filiam in uxorem ducere. Et apud Apulejum Venus ipsa contendit, legitimas non esse Nuptias inter Cupidinem & Psychem, quod illæ clam, sine testibus, nec parentibus consentientibus sint initæ. Hæc & similia ipsius Naturæ testimonia sunt.

§. 3. JURE CIVILI in tantum, ut jussus Parentum præcedere debeat, d. pr. J. de Nupt. ubi ex communi DD. sententia verbum debere, præceptum denotat, necessitatemq; inferre consuevit, arg. l. 1. in pr. de Edendo. Si igitur quis non adhibito Parentum consensu coivit, Nuptiæ non intelliguntur, l. 11. ff. de stat. hom. l. 7. §. 1. ff. de Sponsal. l. nuptia. 2. l. si nepos. 9. l. nuptia. 19. ff. de ritu nupt. & hoc, etiam si miles sit: cui tamen Jura multum indulgent atque favent, l. si filius. 11. l. filiusfam. miles. 35. d. t. l. si ut preponis, §. l. si ut prop. 7. l. nec filium. 12. l. vidua. 18. l. in conjunctione, 20. C. de



*de Nupt.* Oportet etenim, ut quicumque uxorem ducere voluerit, secundum leges & antiquam consuetudinem, Parentes vel alios, quos decet, petat, & cum eorum voluntate legitimum fiat conjugium, *l. unic. § 1. in fin. C. de rapt. virg.* Leges ergò Civiles de necessitate consensûs paterni notiores sunt, quàm ut ignorari, clariore quàm ut obscurari, sanctiores quàm ut aboleri possint. *Bez. in tr. de divort. p. 78.*

§ 4. De JURE CANONICO videamus, ubi pugna major. Præsupponimus receptissimum illud: *quod ubi quid dubium ex Jure Canonico, illud ex aperto Jure Civili declarari debeat.* Hervetus recitat: Leges atque Canones, fratres ac sorores esse propter mutuam concordiam. Nunc Evaristum producimus, qui aliter legitimum non fieri conjugium rescripsit, nisi ab his, qui super ipsam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à Parentibus & propinquioribus sponsetur, *c. aliter. 30. q. 5.* Consentit Leo Pontifex, absque paterno consensu non justas haberi Nuptias asserens, *c. non omnis. 32. q. 2.* Et probant *c. 3. q. 5. c. vidue. 27. q. 1. c. honorantur. c. hoc sanctum. 32. q. 2. c. si verum 31. q. 2. c. 1. de sponsal. impub. c. videtur qui marr. accus.* *Add. Franc. Duaren in comment. ad tit. ff. solut. matrim. cap. 2. fo. Coras. lib. 1. Miscell. cap. 13.* Et quanquam in Concilio Tridentino diversum quid superiore seculo fuerit statutum, factum tamen id est ex pravâ opinione Sacramenti in matrimonio asfert, quod more suo, hoc est, optimè ad Lancelotti Instit. J. Can. tit. II. lib. 2. docet Jctorum Primas, Saxoniarq; Electoris Consiliarius eminentissimus, Dn. D. CASP. ZIEGLERUS, Præceptor atque Patronus noster, quem à primis incunabulis veneramus, veneraturi quoad vixerimus. Quàm varie quoq; hæc res in isto Concilio disceptata fuerit accuratè notavit Petrus Svavis in *Hist. lib. 7 & 8.* quem modò la. datus noster Præceptor allegat in suo accuratissimo ac stupendæ eruditionis Commentario *super Lancellotti Instit. Jur. Canon. pag. m. 417.*

§. 5. Jus Canonicum excipit JUS DIVINUM; de quo primum sese offert IVTUM Decalogi Præceptum: **כְּבוֹד אֲבוֹתֶיךָ** quod honoro & obedientiâ afficere jubet Parentes, & sic eos nullo modo of-



offendere, *Exod. XX, 12.* Ast quis illos non offendi existimet, Præceptoq; huic è diametro contrarium esse, si ipsis, à quibus beneficia & plurima & maxima accepimus, à quibus tanto labore ad illam usque ætatem educati sumus, non tantum honoris tribuamus, ut eorum adhibeamus consensum in contrahendis Nuptiis. Repetitum id quoque legimus *Coloss. III, 20.* in verb. *Ἐτάξα, ὑπακούετε τοῖς κυρίοις κατὰ πάντα.* Ubi notanter additur, quod Parentibus obediendum sit κατὰ πάντα in omnibus, scil. legi divinæ non repugnantibus, vel ut Apostolus ipse explicat *Ephes. IV, 1.* ὑπακούετε τοῖς κυρίοις ὡς κυρία in Domino, i. e. in iis, quæ grata sunt Domino. Si igitur in omnibus istis rebus, quæ non contra Deum sunt, Parentibus præstare tenemur obedientiam; Ergò & in causis matrimonialibus: quia matrimonium ad ἑ omnia refertur. Expressæ deinde extant leges, quibus Parentibus præcipitur, ut ipsi liberis suis de conjugio prospiciant, *Exod. XXXIV, 16. Deut. VII, 30. XXIX, 6. Jer. XXIX, 5. Syr. VII, 27. 1. Cor. VII, 38.* Neque desunt exemplarum Parentum, qui liberos suos locarunt, *Gen. XXI, 21. XXIV, 3. XXIX, 19. XXXIIX, 7. Jud. XII, 9. Tob. IIX, 15.* tum piorum Liberos, qui à Parentibus petierunt consensum ad nuptias. Sic Isaacus, licet quadragenarius, non tamen sibi accipit uxorem, sed Patris voluntati sese exponit, & tam diu expectat, usque dum pater misso servo illi uxorem procuret de cognatione sua, *Gen. 24. & 25, v. 20.* Ismaël alioquin homo ferus & agrestis, nihilominus tamen adeò ferus non fuit, quin observaret honestatem & debitam reverentiam matri exhiberet, *Gen. 21, v. 21.* Samson licet singulari & heroico præditus fuerit spiritu, tamen Parentum consensum implorat, cum vellet ducere uxorem ex Philistinis. Nec prius quicquam tractat, quam Parentes cum ipso descendant, *Jud. 14, v. 3. seqq.* Thamar filia Davidis dispositione de conjugio suo ad Parentis arbitrium remittit, *2. Sam. 13, v. 3.* Docent hæc omnia, Parentum consensum necessario requiri in contrahendis nuptiis.

§. 6. Idcirco nostris moribus, & in ELECTORATU imprimis SAXONICO, Liberi qui absque consensu Parentum nuptias contrahunt, exheredationis fulmen merentur ad dimidiam



diam legitimæ partem, vel etiam pro re nata in totum, juxta  
*Ordinationem Ecclesiasticam, D. AUGUSTI, Anno 1580. promul-*  
*gatam, tit. Von Ehe gelübnißsen fol. 64. p. 2. it. Ehe. Ordn. punct. 1.*  
*fol. 292 p. 2. B. Carpxov lib. 2. 3. pr. Consist. def. 53. Samuel. Lufft. in Re-*  
*pertorio Juris Saxonici, pag. 232 & seq. Imò & ipsi & eorum opi-*  
*tulatores, pro arbitrio Magistratus, in terrorem aliorum, in-*  
*super pœnâ Carceris afficiuntur, ut benè observat Excell. Dn.*  
**JOANNES PHILIPPI**, Jctus Lipsiensis, de Jurisprudencia Ro-  
 mano-Saxonicâ clarissimè meritus, merensqve indies, Doctor  
 atq; Fautor noster olim & olim colendissimus, in *Usu Practico,*  
*Inst lib. 1. t. 10. eclog. 59. p. m. 185* Et hanc exheredationis pœnam in  
 liberos, ob non requisitum Parentum consensum, etiam in E-  
 lectoratu Brandeburgico statutam esse, refert *Scheplitz ad con-*  
*suet. March. tit. de matrim § 2. n. 3* nec non in Regno Gallia ab  
 Henrico II. *Anna Robert. rer. jud. p. 2. c. 9.* item in ditionibus hæ-  
 reditariis Austriacis à Carolo V. *Wesenb. in parat. de lib. & posth.*  
*hered. n. 5. G. Schultz in Synops. Inst. Imper. l. 1. t. 10. annot. (d) p. m. 26.*  
*Conf. Recess. Imperii de Anno 1548. Augusta habit. tit. Vom Sa-*  
*crament der Ehe §. ult.* Concludamus ergò cum Chassanæo:  
 mundum & cœlum & totam mundi machinam literatorum cõ-  
 tra nuptias absqve Parentum consensu initas clamare. *Catal. glor.*  
*mund. p. ult. conf. 35.*

II.

**An Nuptiæ insciis invitise Parentibus inita, ac  
 juramento firmata, distrahendæ sint &  
 annihilandæ?**

§. 1. Est quæstio sanè difficilis, & pro amico, ut loqui so-  
 lent DD. quæ in utramque partem disputari possit. Eorum  
 autem sententiæ subscribendû esse putamus, qui statuunt, quod  
 Parentes non obstante juramento, ipsorum saltem dissentiu di-  
 strahere queant Nuptias. Et ad hoc nos inducit tam Jus Divi-  
 num, quàm Civile & Canonicum.

§. 2. In JURE DIVINO textum habemus expressum, *Num.*  
*XXX, 4. 5. & 6. ubi dicitur: וְאִשָּׁה כִּי תִדְרַךְ נָכַר לַיהוָה וְאִסְרָה*



ואסרה אסר בבית אביה בנעריה: ושמע אביה את-נדרה  
 ואסרה אשר אסרה על-נפשה והחריש לה אביה וקמו כל-  
 נדריה וכל-אסר אשר-אסרה על-נפשה יקום: ואם-הניא  
 אביה אתה ביום שמעו כל-נדריה ואסריה אשר-אסרה  
 על-נפשה לא יקום ויהוה יסלח-לה כי-הניא אביה אתה:  
 Ex quibus verbis apertè constat, Liberos nec DEO ipsi vota fa-  
 cere, nec sese ullâ ratione juramento sine Parentis consensu  
 obstringere posse, & etiamsi aliàs hominem ea præstantem san-  
 ctissimè arctissimeq; in consciètia adstringant, Deû tn. tali ca-  
 su propitium esse, nec liberos tanquam perjuros, quòd juramè-  
 to contraveniant, punire; unde sequitur, quòd si filius alicui  
 juratò promisit matrimonium & Pater contradicat, promissio  
 illa irrita atque nulla, nec juramentum interpositum obliga-  
 torium sit.

§. 3. De JURE verò CIVILI & CANONICO clarissi-  
 mum est, quod omne juramentum interponi debeat super re-  
 bus servatu possibilibus, licitis atq; honestis. Impossibilium  
 enim nulla obligatio, *l. 185. de R. J. c. nemo potest, de R. J. in 6to. &*  
*quæ facta lædunt pietatem, existimationem aut verecundiam &*  
*ut generaliter dicam, bonos mores, ea nec facere nos posse*  
*credendum est, l. 15 ff. de condit. Instit. c. sicut ex literis. 13. c. quem-*  
*admodû, 25. X. de jurej.* Juramentum etiam contra bonos mores,  
 & contra mentem vel fraudem legis, præstitum, sicqve temera-  
 rium, & exemplo perniciosum, non obligatorium est, sed i-  
 pso jure nullum, *l. non dubium. in fin. ubi eleganter Jason. C. de LL.*  
*c. non est obligatorium. 58. de R. J. in 6to. l. juris gentium. 7. §. 16. ff. de*  
*pactis. c. Quintavallis. 23. de Jurejur.* At juramentum illud filii,  
 vel filiz, contra mentem omnium jurium, consensum Paren-  
 tum requirentium, & contra bonos mores, imò contra ipsam  
 pietatem ac reverentiam Parentibus debitam, esse, nemo facile  
 inficiabitur.

§. 4. Deinde omne juramentum semper debet habere  
 tres Comites: Veritatem, Judicium, & Justitiam, *c. nisi Christus*  
*Extr. de jurejur.* quorum uno deficiente juramentum non obli-  
 gat jurantem, *c. & jurabunt. c. licet. 22. q. 1. Gail. lib. 2 observ. 147. n.*  
*3. & DD. communiter.* Sed in hoc juramento deest comes, Justi-  
 tia,



etia, quia Parentum consensus de Jure Civili in tantum requiritur in contrahendis Liberos nuptiis, ut ille potius præcedere, quam omitti debeat, *d. pr. Inst. de Nupt l. 2. ff. de rit. Nupt. l. 14. C. eod. Sc.* atq; aliter contractæ nuptiæ ipso jure nullæ sunt. *S. 12. ff. de Nupt l. 2. ff. de R. N. c. 1. caus 30. q 5. DD. in l. 11. ff. de stat hom. Wesenb. π. ff. de rit. nupt. n. 3. Cothmā. respons. 1. n. 640. seqq.* Quod autem nullum est, nec juramento, utpote, quod non supplet consensum, firmari poterit, *l. si quis §. fin. junct. ibi gloss. fin. de Leg. 1. l. si jusjur §. si paciscar. v. §. general. ff. de pact.*

§. 5. Præterea, si juramentum istud valeret contra auctoritatem & consensum Parentum, sequeretur illud absurdum & inconveniens, quod Liberi possint hâc ratione Parentum consensum eludere. Quilibet namq; cautelâ hâc juramenti uti posset, pro enervandâ Parentum auctoritate, quod inhumanum esset atq; absurdum. Argumentum autem ab absurdo in Jure nostro est validissimum, *Everhard. in Topic. Legal. loc. ab absurdo.* Nec unâ viâ concedendum, quod aliâ est prohibitum, *c. cū quid una. de R. J. in 6to. l. scire oportet. §. 1. ff. de tut. §. curat. dat. ab his.* Nota quoq; est Regula, uno prohibito, alia omnia, per quæ ad illud pervenitur, prohibita esse, *c. præterea. de offic. jud. deleg. ubi gl. l. fin. C. de usur. rei jud. Gail. 2. observ. 39. n. 10.* aliâ fenestra fraudibus aperiretur & delinquendi præstaretur occasio, *contra l. 38 ff. de R. V. l. 5. ff. de pact. dor.* Inprimis cū amantes non ultra modum sapere, nec furorem amoris, utpote quo vehementius nihil, intra cancellos perfectæ Philosophiæ continere credantur; *Nov. 74. cap. 4. pr. Menoch. de arb. jud. q. cas. 328. n. 1.* exemplo Salomonis, qui assidua mulierum conversatione adoravit idola & eis templum ædificavit, *1. Reg. 11. v. 4. §. 7. c. Salomon. 32. q. 4.* & Appii Claudii Jcti, qui amore virginis omne fas ac nefas miscuisse dicitur, *l. 2. §. 24. ff. de O. J.*

§. 6. Ad stipulatur huic sententiæ Megalander noster LUTHERUS <sup>h</sup> in Libello suo de caus. matrim. art. 2. pr. ubi consulenti cuidam Amico de simili casu ita respondet: *Habent filii in hoc casu mandatum & verbum divinum de requirendo Parentum consensu, ideò non est questio, quid filius fecerit, vel quomodo juraverit, sed an piè & justè fecerit? pro mera enim levitate juramentum*

B

illud



illud habendum, utpote quod non est vinculum iniquitatis, nec valet, quia est contra Deum, & si filius hoc agnoscat & de eo doleat, certè nullus hominum, quicumq; ille etiam sit, habet facultatem impediendi filium in sua pœnitentiâ & conversione, &c. Inter alios complures descendit quoq; hanc in sententiam Nobilium ille doctissimus & Doctorum nobilissimus Dn. Joachimus à Beust, Jctus ac Antecessor quondam in celeberrima hac nostra Celeberrimo, *Tn. de matrim. part. 2 c. 48. Adde Dan. Moller. lib. 1. Semest. c. 47. n. 22. & Bidembach. in Prompt. Connub. in Append. c. 1. q. 1. p. 519.*

### III.

Quòd si concubitus fuerit secutus, utrùm Liberos Nuptiæ, sine Parentum consensu contractæ, subsistant; an verò nihilominus rescindantur?

§. 1. Dictum est superius in decisione *Ζητήματα* I. consensum Parentum ad Nuptias Liberos omninò, & de necessitate, ut ita loquar, absolutâ adhibendum esse; ita quidem, ut Nuptiæ sine eo contractæ subsistere non possint, *l. 2. l. 18. l. 35. de R. N. l. 68. de Jure dot. l. 2. & l. 12. C. de Nupt.* Et hæc ubique & semper procedunt, paucis exceptis casibus: e. g. Si Pater fuerit furiosus, *pr. J. de Nupt. l. si neq; 9. ff. eod. l. si furiosi, 25. C. eod.* Vel si effluxo triennio integro Pater, captus videlicet ab hostibus, ita absit, ut an sit & ubi, planè non appareat, *l. si nepos 9. §. 1. cum l. seq. ff. de R. N. l. 12. §. 3 ff. de cept. & postl. revers.* Vel etiam, si aded iniquus Pater, ut liberis uxores ducere & nubere injuriâ prohibeat, *l. capite 19. ff. de R. N.* Præsertim si justam prohibitionis causam allegare nequeat, tunc enim consentire putatur, *arg. l. 37. ff. sol. matr.* Hinc non immeritò instituimus quæstionem: an Nuptiæ sine consensu Parentum contractæ subsistere non possint, si concubitus secutus fuerit?

§. 2. Easdem autem valere negamus ac pernegamus; si nimirum Parentes rescissionem petant, atq; petitionis suæ justâ causam prætendant, *arg. l. 19. h. t.* hæc enim non dicuntur justæ nuptiæ,



nuptiæ, *l. dotis promiss. 68. de jure dot.* quippe contra leges, quæ expressè Patris consensum requirunt, contractæ, consequenter igitur irritæ & nullius momenti, etiamsi copula carnalis sit subsequuta, *l. non dubium est. 5. C. de Legib. & c.* aliàs enim hoc modo delinquens peccatum peccato cumularet, si tantæ concubitus esset efficaciam, ut injustum ac vitiosum conjugium corroboraret, quod permittendum non est. Deinde si votum DEO factum dissentiente Patre rescinditur, *Num. 30. v. 4. cum seq.* quid obstat, quo minus votum homini factum, non consentiente Patre rectè retractetur, cum ex infallibili Dei verbo ejusmodi matrimonia sint dirimenda, *Exod. 22. v. 16.* Absurdum igitur est, vitiosum per aliud æque aut magis vitiosum confirmari. *Donell. lib. 13. Comm. Jur. Civ. cap. 20. ibiq. Hillig. in not. lit. V. Dn. D. Luduvell. Crus Altorphiensis, Disp. 2. th. 5.* Et lex illa divina *d. c. 22. Exod. v. 17.* quæstionem hanc decidere videtur, quòd Deus in potestate Patris reliquit, viro vitiatam filiam tradere vel non tradere. Accedit historia de Sichem, qui etiam post vitiatam Dinam consensum Patris imploravit. Et fratres Dinæ pro consensu rogavit: qui non nisi certis conditionibus assenserunt: eidemque postea & vitam & uxorem eripuerunt. *Gen. 34.* Et notandum hoc casu, si filius vel filia post concubitum nihilominus se subjiciat potestati patriæ, interdum etiam rescindi promissionem temerè factam, & concubitu confirmatam, præsertim si filius vel filia sit minorennis, & altera persona inhonesta, aut si aliæ & tales concurrant circumstantiæ, quæ factum hoc magis accusant, quàm excusant. Unica enim circumstantia totum potest variare factum. Nec toleranda est hæc nequitia liberorum, qui ut Parentum consensum vel extorqueant vel reluctantes Parentes dolosè circumveniant, aut fingunt copulam intervenisse, aut reverà carnaliter cognoscunt adamas, quibus se tantò facilius potiri posse sperant. Pœnisi itaq; gravissimis coercendam esse hanc malitiam, inquit *Bidembach. tr. de causis matrimon. cap. 1. q. 3. p. m. 15. & 16.*

§. 3. Quamvis hoc casu multi & Theologi & Jureconsulti contrarium statuunt, quod nempe post concubitum non amplius auctoritate Parentum rescindi possint conjugia. E



quorum numero: *Philippus Melanchthon. Exam. Theolog. in Loc. de conjug. tit. de consensu Parent. Chemnitius, in Locis Comm. Brochmand. in Syntag. Theol. Loc. de conjugio. Ludov. Dunte in Cas. Consc. cap. 19. qv. 18. p. m. 1092. Cypraus de Sponsal. c. 10. § 16 Bocerus class. 1. disp. 9. th. 14. Manser. ad pr. Inst. de Nupt. Val Guilh. Förster. disp. 3. ad 7. th. 22. Schneiduvinus, de nupt. p. 2. n. 36. Wesenbecius in w. ff. de rit. nupt. n. 8. Harprecht. ad pr. Inst. de nupt. n. 73. Dominicus Arumens, exerc. Justin. 2. th. 11. lit. a. Joach. à Benst. tr. de matrim. cap. 47. Conrad. Rittershusius, differ. jur. Civ. & Canon. lib. 1. c. 3. Corrasius lib. 1. Miscell. Jur. Civ. c. 17. n. 6. Schnobel. disp. ad Pandect. 14. th. 8. Priorem tamen sententiam, cum iustâ nitatur ratione, atq; in utilitate publicâ, in pietate, in honore, Parentibus divino & humano jure debitis, in honestate deniq; suum habeat fundamentum, retinendam omninò, & Aliorum omnium opinioni anteferendam putamus. Quamq; defendunt: *Duarenus ad tit. ff. solut. matr. cap. 2. Oldendorp. class. 4. action. 26. Riemer. illustr. Qq. decad. 2. q. 5. Gøhausen p. 3. peric. Acad. 6. qv. 37. Fibigius in Coll. Legal. exerc. 2. q. 3. Gottfr. Suevus in decad. 3. Resol. Qq. 8. Ungepaar, Exercit. Justin. 3. qv. 6. Albertus Gentilis lib. 4. de nupt. c. 7. Donell. lib. 13. comm. jur. civ. c. 20. Klingius de caus. matrim. c. 78. Theodor. Beza in tr. de divort. p. 145. & alii, quos allegat & sequitur Ernestus Cothmannus Respons. 1. vol. 1. n. 204. & seqq.**

#### IV.

An is, qui ignoranter compressam ab alio atq; stupratam pro Virgine duxit, eam retinere teneatur?

§. 1. Negativam, ceu magis veram, magis æquam, magisq; tum Juri Divino tum Civili amicam ac congruentem, usq; Fori comprobata, plurimi non tantum Jcti, sed & Theologi gravissimi amplectuntur. Pro quâ stabiliendâ facit (1) *Lex Mosaica, quæ istiusmodi corruptam lapidibus obrui jubet, Deuter.*



*Deuter. c. 22. v. 21. & seq.* adeoque divortium ab ea permittitur  
*Matth. c. 5. v. 32. & c. 19. v. 9.* Unde Josephus virginem Mari-  
 am deserere cogitavit, antequam didicisset ab Angelo eam gra-  
 vidam esse ex Spiritu S. *Matth. c. 1. v. 19.* Et justitiæ voluntas hæc  
 deputabatur, ut inquit Augustinus. Hoc ipsū est, quod Salomon  
 scribit *Proverb. 18. v. 22.* stultum esse ac insipientem, qui retinet  
 adulteram. Cum quo consentit Chrylostomus, dum ait: *sicuti*  
*crudelis & iniquus est, qui castam dimittit uxorem; sic fatuus & in-*  
*justus qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis est, qui ce-*  
*lat crimen uxoris.* Cui adstipulatur Hieronymus, in *c. dixit. 32.*  
*q. 1.* ubicunque, inquit, fornicatio vel fornicationis suspi-  
 cio, liberè uxor dimittitur. Et Ambrosius: *cum in meretrice*  
*nulla spes fidei aut pudicitie certitudo sit, minimè ea in conjugium*  
*ducenda, aut in eo retinenda est, c. integritas 32. q. 1.* Grave sanè &  
 inhonestum semper fuit, etiam apud Ethnicos, retinere ab alio  
 vitiatam. Exempla ex Euripide, Svetonio & Terentio refert  
 Beza in *tr. suo eruditissimo de repud. & divort. pag. 88.* Apud Fes-  
 sanos, Sponsa & Sponsa in cubiculum reclusis, fœmina quædã  
 præ foribus expectabat, donec Sponsa de virginate linteolum  
 sanguine tinctum ipsi porrexerit, quod manu gestans Hospiti-  
 bus ostenderit, alta voce clamans, virginem hæcenus incorru-  
 ptam fuisse: si verò non Virgo deprehensa fuit, mox maximo  
 cum dedecore, Nuptiisque infectis ad Parentes fuit relegata.  
*Leo Africanus l. 3. c. 34. de script. Afric.*

*§. 2.* Facit huc quoq; (2) *l. ex empto u. §. si quis. 5. ff. de A-*  
*ction. empt. & vendit* ubi Emptio rescinditur ideò, si mulierem  
 corruptam pro Virgine per errorem emerim. Si hoc in con-  
 tractu emptionis permittitur, multò magis in matrimonio; ar-  
 gumento desumpto à minori, & c. *conf. l. non debet. 21 ff. de R. J.*  
*c. tua. 26. in fin. X. de Sponsal.* Est enim error non nudæ quali-  
 tatis, sed circa aliquid versatur, quod ad ipsam conjugii sub-  
 stantiam pertinet, aut saltem ad qualitatem intrinsecam, ade-  
 oque naturalem & de Virgine tacitè semper subintellectam; ad  
 mentem Illustris ac Magnifici nostri ZIEGLERI. *d. Comm.*  
*pag. m. 427. & B. Jo. Gerhardi Locc. Theol. Tom. 6 de Conjug. §.*  
*109. & seq.* Errore igitur interveniente, matrimonium vitiatur,







specu atque intuitu, fidem casti conjugii dari, omnes sanas me-  
tes judicare debere, *c. cave. 28. q. 1 c. femina, 30. q. 5.* Unde re-  
ctissime quoque concludit Dn. D. Fibigius, Philosophus olim &  
Jctus accuratissimus, *in Coll. Legal. exerc. 2. q. 4. §. 1. & seqq.* volun-  
tariè defloratam ac  $\Psi$  *Udoxopny* ab ignorante ductam & ante &  
post Nuptias (modò ab eâ sponsus abstinuerit simul atque vitium  
ipsi illatum esse innotuerit) licitè repudiari posse; & quidem  
ex hac ratione solidâ: quod contrahens cum virgine non nisi in  
virginem consenserit, castitatisque conditionem tacitè subin-  
tellexerit, atque ita cum ea virgo non sit quam ducere constitue-  
rat, nec in eam personam consensisse appareat.

§. 4. Suffragatur præterea hisce Regula Juris commu-  
nis, quæ vult, pacta & contractus dolo initos nullius esse mo-  
menti, nec à parte deceptâ invitâ custodiendos, *l. 7. §. ait Prator,*  
*ff. de pact. l. 7. in pr. ff. de dolo.* Quis autem negabit, ex parte Spon-  
sæ dolum fuisse commissum, dum pro meretrice se castam, pro-  
gravidâ virginem gessit. Magnus certè dolus est, & multo in-  
tolerabilior error, quàm error conditionis, ubi homo liber  
ducit ancillam, quam credit esse liberam, quorum casu matri-  
monium solvitur de Jure Canonico, *c. unico. 29. q. 1. & per Cano-*  
*nist. in c. proposuit. de conjug. servor.* cum in hujusmodi errore  
qualitatis videatur prorsus deesse consensus decepti. *Magnif.*  
*Dn. D. Chr. Phil. Richterius, antehac in alma Salana Præceptor no-*  
*ster dexterrimè Vol. 2. Consil. 510. n. 7. p. m. 1402. seq.* Si enim scivis-  
set eam esse vitiatam, nunquam eam duxisset. Neque tantùm  
est error simplicis qualitatis, sed talis error, qui versatur circa  
aliquid ad ipsam conjugii substantiam pertinens; docente id  
*Celeberrimo & nunquam absq; præfatione honoris nuncupando, Dn.*  
*D. ZIEGLERO,* (quem Deus ad splendidum totius nostræ A-  
cademiæ decus & emolumentum diu superstitem ac incolumem  
esse jubeat!) *in egregiis suis animadversionibus ad J. P. Lancelotti,*  
*Jcti Perusini, Institutiones, p. m. 427.* potissimùm cum & læsa vir-  
ginitas corporis vitium censeatur, corpus verò conjugis perti-  
neat ad materiam conjugii, materia autem ad rei substantiam.  
Videatur *G. Fibigius, in d. Coll. Leg. p. m. 124.* ubi simul observa-  
ri potest, quod immeritò Quidam duris nimium verbis per-  
stringat



Stringat B. Dn. D. GERHARDUM, Theologum, dum in vivis  
esset, citra controversiam magnum. Concedit ille, ut *ws cō*  
*capēdo* hoc adjiciamus, & virginitatis corruptionem esse cor-  
poris vitium, sed parziale, non totale, & quod totum corpus  
inficiat ac immutet, & consequenter ideò inhabilem conjugii  
materiam efficiat, *per l. 11. §. 1. ff. de contrab. emt.* Gerhardum ve-  
rò negare, corpora vitio affecta materiam esse conjugii, quod  
tamen sit falsissimum, cum omninò etiam vitio corrupta cor-  
pora vera sint cōjugii materia, ne alioqui ridiculè sequatur, eti-  
am scabiosam aut aliàs morbosam pro sanâ ductam propter vi-  
tium corpori adhærens repudiari posse: quia & hi morbi sint  
vitia corporis. Parciùs & mitiùs sanè cum tanto Theologo a-  
gendum erat: Separanda enim hîc sunt à se invicem vi-  
tia corporis, cum non omnia illud ipsum materiam inhabilem  
conjugii efficiant, castumq; impediunt conjugium cum virgine  
contrahendum. Nec ut læsa virginitas, ita & cætera vitia  
corporis Sponsæ Sponsoq; maculæ notaminurunt, & alienum  
obtrudunt partum. Inconvenienter quoq; ab emtione ad nū-  
ptias, quæ individuum vitæ consuetudinem important, colligi-  
tur *ex l. 11. §. 1. ff. de contr. emt.* Porrò & id attendendum est, nec  
à Gerharo nostro errorem hunc virginitatis in ipsâ totâ sub-  
stantiâ matrimonii fundari, sed tantum pro errore circa ali-  
quid ad ipsam conjugii substantiam pertinens, vel circa par-  
tem alicujus substantialis matrimonii, versante æstimari, quod  
dissentiens ipse propugnat. Verum quomodò id ipsum cum  
præcedentibus cohæreat, ille videat.

§. 5. Tristissimi denique ac difficiles consequuntur exi-  
tus & eventus, ubi maritus cum pollutâ, quam pejus cane &  
angve oderit, vivere & cohabitare cogitur, *c. præterea. c. cum*  
*locum. c. requisivit, de Sponsal.* Hincq; testantur Jurisprudentiæ  
Romano-Saxonice Duumviri, Ben. Carpxovius, *b. m. in Pr. Cri-*  
*minal. part. 2. qu. 63. n. 47. seqq. & C. P. Richterus, in Vol. 2. Con-*  
*siliorum Juris, pag. m. 1402.* quòd secundum hanc sententiam in  
Curiis atq; Consistoriis Statuum Imperii, Confessioni Augu-  
stanzæ addictorum, pronuncietur, ita, ut hoc casu (si maritus  
juri suo renunciare nolit) non modò concedatur divortium,  
quoad



quoad mensam & torum ; sed etiam parti innocenti facultas  
detur ad vota transeundi secunda. *Add. B. Lutherus, Tom. 5.*  
*Jen. Germ. fol. 250. & Tom. 6. Jenens. fol. 530. Schurffius, Consil. 9.*  
*cent. 3. Nicol. Reusnerus, lib. 1. consult. qu. 5. n. 78 & 79. Joach. &*  
*Beust. de matr. part. 2. c. 34. Sig. Finckelthaus, observ. 30. Ungepaar,*  
*exerc. 3. Justin. qu. 8. ibiq. allegati alii. Et formulam sententiae re-*  
*fert CL. Dn. Förster. in tr. de nupt. sent. 5. his verbis : Die weil*  
*ihre von solcher Unzucht nichts gewusst / auch dergestalt Sie zu Ehe-*  
*lichen nicht gewilliget / sondern betrogen worden : So werdet ihre*  
*billich von ihr entbunden und loß gezehlet / und euch auch / als dem*  
*unschuldigen / und betrogenem theil euer gelegenheit nach ander-*  
*werts zu verehlichen billich gestattet und nachgelassen. B. N. W.*

V.

### Quo tempore justus ac legitimus nasci possit partus ?

§. 1. Ζήτημα hoc ad Nuptiarum refertur effectus, quorum  
insignes habet conjugium. Nam varia commoda atq; jura ma-  
rito respectu uxoris & liberorum, multa itidem uxori, haud  
pauca quoque Liberis ipsis inde obveniunt. Insignia liberis  
accedunt commoda, si in matrimonio sunt concepti : unde  
quinam partus sit legitimus in Jure nostro definiri solet. Habe-  
tur autem pro legitimo ille, qui completo sexto mense editur,  
ex Philosophorum sententia. Ita n. Aristoteles lib. 7 histor. a-  
nim. c. 4 ait : *Fœtus qui maturus, quàm septimo mense prodeat, nul-*  
*lo pacto vitalis ; qui septimo, vitalis quidem hic primus exit, sed ma-*  
*gnâ ex parte infirmior : quam obrem cunabulis ex lanâ eum obvolvunt,*  
*& fasciis alligant, &c. & paulò post : & pleriq; de his quoq; septimo*  
*mense natis vivere atq; adolescere possunt. Hanc sententiam Job au-*  
*thoritâ Hippocratis sequuntur Jcti Romani l. septimo. 12. ff. de*  
*stat. hom. Quam nonnulli restringunt ad eas, quæ primùm nu-*  
*bunt ; alii extendunt ad viduas ad secunda vota transeuntes. Et*  
*ita pronunciatum testatur suprâ laudatus Richterus, decis. 89. n. 3.*  
*Quot verò dies mensem constituent inter Interpretes Juris nō-*  
*dum satis constat, ut videre est apud Menochium de arb. Judic.*  
*quest. l. 2. cent. 1. cas. 50. & Rauchb. p. 2. quest. jur. civ. & Sax 24.*  
*n. 2. seqq.*

C

§. 2. So-





**S. 2.** Solida hujus *Ἐπιμύησις* & decisio ex mente Philosopho-  
rum, quorum manus lubens ex osculo, petenda erit. Nam ex  
hypothesi ab iisdem petitâ progrediuntur Jcti, ut apparet ex  
*d. l. 12. ff. de stat. hom.* Deprehendere verò licet, *Aristotelem lib.*  
*4. de generat. animal. c. ult.* causam diversi temporis circa par-  
tum petere (1) à magnitudine, quia non aequali tempore ina-  
qualia augmentum debitum consequi possunt: quâ de causâ &  
elephas per biennium in utero commorari Aristoteli dicitur.  
(2) Et quidem ratione optimâ tempora omnium & graviditatū  
& vitarum mensuram consequi à periodis cœlestibus, motu  
scil. diurno, menstruo, annuo, & partibus mensium tradit.  
Luna enim fit quoq; principium generationum, propter com-  
munionem, quam ex receptione diversâ radiorum cum sole  
habet: fit namq; quasi alter Sol minor. Conducit ergò Luna  
ad generationes & perfectiones; quia calefactiones & refrige-  
rationes cū moderatione generationes, sine moderatione cor-  
ruptiones efficiunt. Motus a. Solis & Lunæ harum qualitātū prin-  
cipii & perfectionis terminū continent. Ast subtiliora hæc sunt  
nec accurate hîc tractari possunt. Quantitatē tn. mensiū ex mē-  
te Aristotelis inde colligere licet. Sunt enim menses alii *Astro-*  
*nomici*, alii *Civiles*; hi varii sunt ex instituto variarum Rerum  
publicarum; illi vel sunt Solares vel Lunares. *Mensis Solaris*  
est spatium temporis, quod Sol consumit, quando signum, i. e.  
XXX. gradus Zodiaci percurrit. Et quia motus ejus alius est  
medius, alius apparens seu verus, etiam duo genera mensium  
Solarium inde nascuntur: medii mensis Solaris quantitas est 30.  
dier. 10 $\frac{1}{2}$  ferè Hor. *Menses Lunares* alii sunt Synodici alii Perio-  
dici. *Mensis periodicus Lunarum* est spatium temporis, quod  
Luna consumit, quando motu secundo moveretur à certo Zodia-  
ci puncto, donec ad illud redeat. *Mensis Synodicus* est spati-  
um temporis, duabus proximis conjunctionibus, oppositioni-  
bus, quadraturis primis vel ultimis interjacens. Et hi menses  
omnes iterum vel medii sunt vel apparentes. Ad nostrum in-  
stitutum sufficet, quantitatem mensis synodici medii assignaf-  
se; estq; 29. dier. 12 $\frac{3}{4}$  Hor. ferè. Quòd si ergò Aristotelis funda-  
menta perpendimus, qui à Lunæ habitudine ad Solem causas pe-  
tuit,



erit, per menses eum intelligere Synodicos haud immeritò statuimus  
adeoq; quia sex menses synodici conficiunt 177. dies, 4. H. 24 $\frac{1}{2}$  min. e-  
rit partus post tot dies editus ex mente ipsius vitalis. It. quia nonnul-  
las foeminas undecimum mensem attingere testatur *d. lib. 7. Hist. anim.*  
*cap. 4.* erunt & illi partus legitimi ex mente ipsius, qui paulò post 295.  
diem à tempore, quo foemina cum marito coire potuit, eduntur. Hæc,  
si præcisè Aristotelis auctoritati inhaerere volumus, hoc modo statuen-  
da esse videntur.

§. 3. Verum enim verò, quia Jcti Romani auctoritatem Hippo-  
cratis sequuntur: videndum erit, de quibus mensibus ille loquatur.  
Quòd si ergò singula perpendimus, non dubitamus asserere, eum men-  
ses non Lunares, sed Solares attendisse. Idque clarè patet *ex l. inte-*  
*stato. 3. §. ult. ff. de Suis & legit.* ubi sex menses ex mente illius diebus 182.  
determinantur: cum enim sex menses dimidium annum confi-  
ciant, continebit spatium sex mensium æqualium 182. dies 14. hor. 54.  
min. Conveniunt quin etiam hæc cum ipsissimis Hippocratis verbis,  
*libr. de septimestri partu. init.* Verba ex versione Foëlii hæc sunt: *Septi-*  
*mestres nascuntur diebus 182. & insuper additâ quâdam diei particulâ.* Et  
proinde decem menses facient spatium 304. dier. 9. hor. ferè: eritque  
ex mente Hippocratis, si undecimum mensem attingere foeminae ute-  
rum gestantes possunt, & ille partus legitimus, qui post 305. diem à tē-  
pore, quo mulier concipere potuit, in lucem prodit. Et ita hîc Wit-  
tebergæ pronunciatum esse testatur *Rauchb. p. 2. quest. 24. n. ult. in casu,*  
quo mulier 43. septimanis, i. e. 301. diebus, postquam maritus pere-  
grè abesse cœpit, peperit. Ad medium tamen undecimi mensis non  
facilè progredi Jctos in pronunciendo de partu legitimo, testatur ite-  
rum *Rauchbar. d. p. 2. q. 24. n. 52.* Ex his iisdem fundamentis sequetur,  
si antequam 177. dies post nuptias elapsi sint ex mente Aristotelis, aut  
182. ex sententiâ Hippocratis, & partus edatur vitalis nec paulò post  
moriens, pro legitimo eum non habendum. Nam Aristoteles supra  
cit. loc. foetum, qui maturius, quàm septimo mense editur, nullo mo-  
do vitalem esse statuit. Quod si verò subito, postquam editus est, mo-  
riatur, ob hoc conjuges non possunt dici ante nuptias coivisse. Et ita  
pronunciatum testatur *B. Carpzov. lib. 2 Jurispr. Consist. tit. 13. def. 227.*  
Verùm quia Hippocratis hypothesin amplectuntur Jcti Romani, qui  
mensibus Solaribus singula definivit; videtur à solo motu Solis per do-  
decatemoria petenda causa esse: si verò hoc ponatur, mensibus me-  
diis




XX  
Hic nullo modo in tempore dinumerando uti poterimus; cum ingens spatium anni dimidii differentia inter apparentes mediosque emergat; à mediis autem hic effectus dependere non possit.

§. 4. Hoc perspicuum fiet, si B. SENNERII sententiam enarremus, quam proponit in *Pract. Medic. lib. 4. part. 2. sect. 6. c. 1. circa fin.* cujus verba hæc sunt: *Quapropter si in Solis annuo motu causa querenda est, vix commodior invenietur, quam in triplicitatibus. Cum n. Sol singulis mensibus signum unum peragret, solo mense quarto & octavo ad signa ejusdem triplicitatis pervenit, qui propterea etiam gravidis plerumque gravissimi esse solent.* Ex his apparet Celeberrimum illum Medicum motui Solis per signa Zodiaci ascribere causas: at hic æqualis non est, quia in signis meridionalibus celerius, in septentrionalibus tardius movetur. Ponamus conceptionem factam esse 13. Septembr. Sanè quia Sol sex signa meridionalia vero motu percurrit 178½ dieb. spatium: erit partus post hoc tempus editus vitalis; quia ultra sextum mensem Solarem verum seu apparentem editus est: aliter ac si circa 11. Martii in initio Veris conceptio facta sit; non enim tunc erit ejusmodi partus vitalis, quippe cum Sol in signis Septentrionalibus commoretur 186. dieb. 17¾ H. adeoque post 179. aut etiam 182. dies à tempore conceptionis natus ante completum sextum mensem editus sit. Ita nunquam tunc mediis mensibus adhibitis numerare sex menses possumus, nisi conceptio facta sit Sole in apogæo vel perigæo consistente: In principio enim Veris & Autumni facta conceptione differentia verorum mensium octo dierum: singulorum à medio, quatuor dierum emergit. Hoc dubio moti omnes monemus, ne ante 182. diem postnuptias natum illegitimum pronuncient: cautius enim progredientur; si & partum post 178 diem editum vitalem & legitimum pronunciaverint: id namque præter hoc dubium & Aristotelis fundamenta svadent, qui mensibus Synodicis Lunaribus tempora definitivisse videtur. De his hæc vice. Neque omnia in medium afferre placuit. Tu, ô Bone, quæ sunt benè dicta, DEO tribue, & da gloriam; quæ sunt malè dicta, Homini imputa, & da veniam. Hæc nostra perfectio, si nos imperfectos agnoverimus.

LAUS, HONOR & GLORIA SIT  
ILLI SOLI, QUI SOLUS EST

A. M. D.











AB: 154447

ULB Halle 3  
004 060 792



Sb.

VD 17











4 XXX

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI  
DE  
**JURE NUPTIARUM,**  
*MAGNIFICI*  
*ACTORUM WITTEBERGENSIUM ORDINIS CONSENSU*  
*DISSERET*  
**JO. FRID. SCHARFIUS,**  
J. U. D. & COLL. PH. ADJ.  
*PRÆSES,*  
*IN ACROATERIO THEMIDI SACRO*  
*PRIDIE KAL. AUGUSTI, HORIS SOLEMNIBUS*  
*RESPONDENTE*  
**JOHANNREINECTIO, DAMENS. SAXONE.**  
-----  
*IMPRIMEBATUR LITERIS HAKIANIS, A. O. R. cl. 1772.*

